



1

2

29

30

31

32

33

948.

DE

15

# CASTRVCIO DVCE LVCIENSI S. R. I. VEXILLIFERO

PRAEFATVS

AD AVDIENDAM ORATIONEM

QVA

MVNVS PROFESSORIS PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARI<sup>I</sup>

IN ACADEMIA LIPSIENSI

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM

DIE XXII. DECEMBER. A. C. N. C<sup>I</sup>LCCLXXIX.

RITE AVSPICABITVR

HUMANISSIME INVITAT

M. ERNESTVS CAROLVS WIELAND

COLLEGII B. M. V. COLLEGA REGIAE BORVSSICAE

SOCIETATIS SCIENTIAR. ET ARTT. FRANCOFVRTENSIS

ASSESSOR.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

CARTULARUM  
S. R. L. EXCELENTERI

EXCELENTERI

VIA VADIMINIPATI  
VIA VADIMINIPATI

IN VADIMINIPATI  
IN VADIMINIPATI

IN VADIMINIPATI  
IN VADIMINIPATI


IN VADIMINIPATI  
IN VADIMINIPATI

IN VADIMINIPATI  
IN VADIMINIPATI

LITURGIA

EXCELENTERI

**Q**uum in eo esset, vt nouus introducoretur Electoratus, Archi-Vexilliferi S. R. I. officium nouo Electori desti-  
nare Caesari placuit (*a*). Cuius rei notitia ad aulam  
Wuirtenbergensem delata, Magdalena Sibylla, Gulielmi Lu-  
douici Ducis Wuirtenbergenis vidua, in literis ad Leopoldum  
Caesarem datis, non solum filii sui Eberhardi Ludouici, cuius  
tutor legitimus (*b*) captiuus a Gallis detinebatur, sed vniuersae  
quoque domus Wuirtenbergenis causam egit, et nouo, cuius  
mentionem iniecimus, Archi-Officio acriter contradixit, ad so-  
los Wuirtenbergiae Duces laudatum officium in Sacro Romano  
Imperio feudi antiqui iure spectare contendens (*c*). Neque ef-  
fectu caruit haec protestatio. Imperator enim Augustissimus  
in literis ad Magdalenan Sibyllam missis (*d*) sancte pollicites  
est, fore, vt in Inuestitura noui Electoris omnia ea omittenter-  
tur quae in damnum domus Wuirtenbergensis vergere possent.  
Quibus etiam promissis stetit Leopoldus Caesar; dum in ipsa  
Ernesti Augusti Electoris Brunsvico-Lunenburgensis inaugura-  
tione, d. 29 Decembr. a. 1692. Viennae peracta, omnis officii  
Archi-Vexilliferatus mentio omittetur (*e*). Exorta est hac  
occasione quaestio: an Vexillum Groeningense seu Wuirtenber-  
gense pro maiori, an vero pro particulari Imperii Vexillo ha-  
bendum sit? quam in vtramque partem disputarunt in scriptis  
publicis viri doctissimi (*f*). Quod autem ad nos attinet, licet  
hanc item nostram facere nolimus, in iis tamen, quae sequun-  
tur, demonstratum dabimus, eodem prorsus tempore, quo  
vexilli Groeningensis cura ad Conradum Comitem Schluisfelbur-  
gicum spectauit, officium Vexilliferi S. R. I. Ludouici Bauari-



Imp. beneficio ad Castrucium Ducem Lucensem peruenisse; atque ita distinctionem inter Vexillum Imperii maius seu universale, atque illud, quod in vernacula die *Sturmfahne* dicitur, omnino admittendam esse.

(a) Quod constat ex pactorum inter Caesarem et Ernestum Augustum a. 1692. d.  $\frac{1}{2}$  Martii Viennae celebratorum formulis. In priori enim pacto imperatore Ernesto Augusto non solum Electoratum sed etiam officium Archi-Vexilliferi promisit, dicens ex ipsius pacti tenore, apud DV MONT Corp Diplomatis Tom VIII. P. 2. pag 306. cf. BVRCH. GOTTH. STRVIVS in Corp. Hist. Germ. Per. X. Sect. II. §. 74.

(b) Fridericus Carolus Dux Württembergensis, Württembergici Ducatus Administrator, cum quatuor militum milibus contra Galios missus d. 17 Sept. a. 1692. prope Ottersheim ab hostibus oppressus et ipse captivus Parilius deductus est. STRVV. I. c. Per. X. Sect. II. §. 73.

(c) Léguntur haec literae cum documentis annexis apud CASSANDRVM THYCELIUM in Electis Iur. Publ. Cap. IV. pag. 111—125.

(d) Quos exhibet THYCELIUS I. c. pag. 127. Huc vero imprimitis faciunt verba Caesaris, quae sequuntur: *Also werden wir auch wegen gedachten Erz-Panner Amtes niches, so Dero Prinzenz Liebden verständlich seyn könnete, verfüegen, sondern soviel dasföhrer anbelangt, die Sache zu weizerer Erörterung aufstellen und in der Investitur davon abzuhören.*

(e) Extant haec scripta apud THYCELIUM I. c. pag. 130—234.

(f) RINK in dem Leben Leopolds pag. 1050 sq.

### §. 2.

Ex iis, quae de scopo huius scripti diximus, satis patet, nos id non agere, ut singula Castrucii res gestas exponamus. Breuem solimmodo iurium et honorum, quibus Ludouicus Bavarus Castrucium ornauit, historiam scribere aggredior. Quo melius vero intelligentur summi, quo apud Caesarem Castrucius floruit, favoris causae, res paulo altius repetenda est. Nullo igitur, ut ab hoc dicendi faciamus initium, natalium

—

splendore, nullis maiorum imaginibus Castrucius noster commendari potest. Recens enim natus infans (a. 1284.) in vinea Antonii Castracani, Canonici Lucensis, expositus, ab Antonii autem forore fratri oblatus (*a*) eidemque Castrucci nomen impositum est (*b*). Antonius vero Castracanus pietate permotus educandi infantis curam suscepit; et tanto puerum, quem vi-  
tae ecclesiasticae destinauerat, amplexus est amore, ut iam de beneficiis suis, facta renunciatione in Castrucium nostrum olim transferendis cogitaret. Sed euentus non respondit expectatio-  
nibus Antonii. Animus scilicet, qui in Castrucio erat, inquietus et flame loco nesciens, a Muisis et ab ecclesiastico potissimum vitae genere abhorrire, atque bellicae potius virtutis, et audaciae illius, cuius maxima vis esse solet ad res magnas bene pra-  
clareque gerendas, non obscura suppeditare indicia videbatur (*c*).

(*a*) NICOLAVS MACHIAVELLV in *Vita Castrucii Castracani* (quae Italico sermone scripta legitur in Eiusd. Opp. Part. II. pag. 69 pag.) pag. 70. Occorse, ch'andando una matina poco poi levata di sole Madona Diana (che così si chiamava la sprochia di Messer Antonio) à spasso per la vigna — — sentì frascheggiare sotto una vite tra i pampini, & rivolti verso quella parte gli occhi sentì come piangere. Quale che tirasse verso quello romore, scoperse le mani & il viso d'uno bambino, che rinvoltò nelle foglie pareva che aiuto le domandasse. Tale che essa — — ripiena di compassione lo ricolse & portato à casa — — la presentò — à Messer Antonio.

(*b*) MACHIAVELL. l. c. pag. 70. Havendolo fatto battezzare, per il nome di Castruccio loro padre lo nominarono.

(*c*) MACHIAVELL. l. c. pag. 70. Cresceva in Castruccio con li anni la graria — — & presto secondo la età impard queste cose, à che da Messer Antonio era indirizzato; il quale designando farlo sacerdote, & con il tempo rinuntiarli il Cardonacato & altri suoi benefici, secondo tale fine lo ammoestrava. — — — Come prima Castruccio pervenne alla età di XIV. anni — — lasciati i libri ecclesiastici da parte, cominciò à trafare l'armi; ne di altro s'ellettava, che ò di maneggiare quelle, & con li altri suoi equali correre, saltare, far alle braccia & simili esercizi.

§. 3.

Lucensium proceres, sicut vniuersae fere Italiae ciues, ea tempestate partim Gibellinorum, Guelforum partim sectabantur factiones. Inter eos vero, qui Lucae Gibellinorum partibus fauebant, facile princeps erat Franciscus Guinigius; quem naturalium splendore non minus quam opibus et virtute clarum, omnes, qui iisdem partibus nomen dederant, magni faciebant. Huic viro quum innotuissest Castrucius, annos fere XIV. natus (a. 1298.), factum est, ut ab eo in domum receptus, et ea omnia diceret, quae futurum militem decent, et partium simul Gibellinarum rigidus euaderet fratelles (a). Exacto autem in aedibus Guinigii quadriennio, primae iam expeditioni bellique sub ipsis Guinigii auspiciis interfuit Castrucius (b); in qua tantam laudis gloriaeque collegit materiam, ut Lucam redux factus, omnium in se conuerteret oculos, multorumque amicitiam atque fauorem sibi conciliaret. Morti tandem vicinus Franciscus Guinigius, filii impuberis Pauli tutelam bonorumque suorum curam, fidei Castrucii commisit (c).

(a) MACHIAVELL. l. c. pag. 71.

(b) MACHIAVELL l. c. pag. 72. Occorse in quelli tempi sendo già Castruccio di XVIII. anni, che i Ghibellini furono cacciati da i Guelfi di Pavia, in favore d' quali fu mandato da i Visconti di Milano Mefisto Francesco Guinigi, con il quale andò Castruccio, come quello, che aveva il pondo di tutta la compagnia sua; nella quale spedizione Castruccio dette tanti saggi di sé di prudenza e d'animo, che niuno, che in quella impresa si trovasse, ne acquistò gratia appresso di qualunque, quanto ne riporò egli; e non solo il nome suo in Pavia ma in tutta la Lombardia divenne grande & honorato.

(c) IDEM l. c. pag. 72.

§. 4.

Mortuo Guinigio, fauor, quo apud Lucenses florebat Castruccio, Georgii Opizii, Guelforum in hac ciuitate antesignani, machinationibus in inuidiam conuersus, effecit, ut de opprimenda

menda factione Guelfica noster cogitare inciperet. In auxilium itaque vocato Hugocione Facciolo, Regulo Pisano, qui et ipse a partibus Gibellinorum stabat, Opizius interemtus, summa rerum autem apud Lucenses ipsi, quem memorauimus, Hugo-  
cioni tradita est (a). Quo facto, quum contra nouum princi-  
pem Luensem Florentini, qui Guelforum omnium erant per-  
uicacissimi, bellum mouerent, insignem Castrucius nactus est  
occasionem, qua artis militaris, quam sibi comparauerat, peri-  
tiam ostendere posset. In praelio scilicet cum hostibus com-  
misso tanta prudentia aciem instruxit, ut caesis X. militum  
millibus Florentini fugarentur, ipse vero Castrucius vix CCC.  
fuorum occisis numeraret (b). Quae nobilis victoria, quum in-  
gens adderet gloriae Castrucii nostri incrementum, inuidia et  
suspicio incensus Hugocio, Pisaniorum et Lucensium princeps,  
de tollendo e medio homine auctoritati suae suspecto cogitare  
coepit; et causa tandem, quae poena digna videretur, inuen-  
ta (c), filio suo necandi Castruci negotium commisit. Sed  
filius Hugacionis interimere Castrucium non ausus, in carce-  
rem eum coniecit (d). Lucenses autem iniuriam fortissimo  
viro illatam inique ferentes, facta seditione libertatem illius  
postularunt eamque a principe obtinuerunt. Quibus ita dispo-  
fitis, Castrucius in libertatem restitutus Hugacionem e ciuitate  
expulit, et primum quidem a Lueensibus militiae vrbis praefec-  
tus (e) tandem vero, subactis nonnullis oppidis in Lucae vici-  
nia sitis, communis populi Lucensis suffragio princeps appella-  
tus est (f).

(a) MACHIAVELL. l. c. pag. 72—73.

(b) IDEM l. c. pag. 74.

(c) Quae causa qualis fuerit, discimus ex MACHIAVELLO l. c.  
pag. 75, vbi ita pergit: Occorse che fu morto Pier' Agnolo Michelini, in  
Luca buono qualificato e di grande stimatione; l'ucciditore del quale  
si rifuggì in casa di Castruccio, dove andando i sergenti del Capitano  
per prenderlo, furono da Castruccio ributtati, in tanto, che per omicidio,  
mediante gli aiuti suoi, si salvò. La qual cosa sentendo Ugucione, che  
allora si trovava a Pisa, e parendoli haverre giusta cagione à punir-  
lo,

lo; chiamò Neri suo figliuolo, al quale bauova già data la Signoria di Pisa, e li commisso, che sotto titolo di convitare Castruccio lo prendesse e facesse morire.

(d) MACHIAVELL. I. c. pag. 75. Castruccio andando nel palazzo del Signore — non remendo di alcuna ingiuria, fu primo da Neri ritenuto à cena, e dipoi preso. E dubitando Neri, che nel farlo morire senza alcuna giustificazione il popolo non si alterasse, lo serbò vivo, per instardere meglio da Uguccione, come li paresse di governarsi.

(e) IDEM I. c. pag. 74—76.

(f) Oppida a Castruccio in potestatem Lucensium redacta, antequam summae rerum potiretur, recensuit MACHIAVELLUS I. c. pag. 76.

### §. 5.

Omnia, quae breuiter haec tenus commemorauimus, satis euincunt, non parum contulisse Castrucium ad partes Gibellinorum in Italia confirmandas, infrigendamque Guelphorum, qui cum Pontifice et Rege Neapolitanō contra Caesarem faciebant, potentiam. Sano itaque et prudenti consilio de concilianda sibi conseruandaque Castrucci amicitia sollicitus fuit Ludouicus Bavarus, quoniam de instaurando Italiae et Imperii Germanici nexus, recipiendisque in clientelam Guelfis cogitaret. Antequam enim in Italiam pergeret Ludouicus, ad firmandas in Longobardia partes suas, non spernendis Castrucium nostrum ognaut iuribus. Bina scilicet apud LEIBNITIVM (a) leguntur diplomata IV Kal. Iun. 1324. Francfurti signata, quae luculententer ostendunt, in quanta nosler apud Ludouicum fuerit existimatione. In horum diplomatum primo Ludouicus, iaddata Castrucci erga Imperium fidelitate, eum S. R. I. Vicarium, in ciuitate et districtu Lucensi, nonnullisque locis in Lucae vicinia sitis, renunciat (b); in altero autem eidem Vicariatum Pistoiensem concedit (c). Ex quorum diplomatum tenore colligere nonnulla possumus, quae ad illustranda Vicariorum Italianorum iura faciant. Patet scilicet ex ipsa vtriusque diplomatis inspectione: I) Vicariatum generalem Castrucio concessum  
con-

continuisse Iurisdictionem altam et bassam, relicta Vicario libertate, utramque iurisdictionem vel per se vel etiam per alium exercendi (d); attamen II) Vicariatus concessionem non in perpetuum seu ad dies vitae factam esse, sed iure reuocabili (e) et III) sub lege praestandi a Vicario Iuris iurandi de Iurisdictione fideliter administranda (f). Ex quibus omnibus, ut hoc quasi in transitu annotare mihi liceat, nemo non intelligit, egregius falli eos, qui sibi aliquique persuadere conantur, Lucenses ab Imperio plene emancipatos fuisse Rudolphi I. Habsburgici indulgentia (g). Maius etiam momentum ad sententiam nostram accedit ex inspectione diplomatis Ludouiciani **IV Kal. Jun. 1324** Francofurti signati (h), per quod Lucensis civitas a banno Imperii absoluiter. Henrico scilicet VII. Imp. ad redigendam in ordinem Italianam castra mouente, nonnullae ciuitates Guelfarum partium, Florentia, Bononia, Senae, Luca, Pistorium et Perusium, fancito inter se foedere consilia et arma iuxterant, ad impediendum, quo minus Henricus Roman tendens per terras earum transiret (i). Quam ob causam Henricus sicuti contra reliquas Tusciae ciuitates, quae rebellauerant, ita etiam contra Lucenses banni sententiam a **1312.** promulgauit, et ad depopulandos Lucensem agros milites dimisit (k). Ludouicus autem Bauarus, quem Calfrici potissimum auctoritate ita immutata videret Lucensem studia, ut iam, relictis Guelforum partibus, Gibellini vnicce sauerent, omnem illis, in laudato diplomate culpam remittit; eosque a banno Imperii liberos pronunciat (l); ex quo certum fit, Ludouici Bau. tempore Lucenses maiestatem Imperii comiter conseruasse, nequitiquam vero a subiectione erga idem Imperium fuisse imminentes.

(a) in Codice Iuris Gentium Diplomatico Part. I. n. 61. et 62. pag.  
126. 128.

(b) Verba diplomatica, quae hue imprimis faciunt, ea sunt, quae sequuntur: *Volentes praemissorum obtenu excolvere nonen tuum, et te praerogativa speciali magnifice honorare, Vicariatum Ciuitatis Lucanae ejus-*

¶

etiusque districtum sex milliariorum et suburbanorum vel quasi, et provinciarum Vallis Nebulae, Arianae et Luiae, cum terris ciuium Garfagnanae, terris, quae dicuntur Plancorum, Verrucula, Bossorum, et eius curiae Pontremulo, eius districtu, Lunigiana, et omnibus terris sitis ultra et circa aquam Magras in Lunensi dioecesi, Massa et Versilia et Vallerina, auctoritate Regia nostra et Sacri Imperii vice et nomine usque ad nostrum vel successoris nostri Romani Imperatoris vel Regis beneplacitum et voluntatem tibi commitimus; ex iis ipsis — — ante dictis, pro nobis et Sacro Imperio te Vicarium constitutus et facimus generalis.

(c) En verba diplomatis: *Vicariatum ciuitatis Pistorii et totius Cameratus et districtus eiusdem, ac in omnibus aliis terris sitis infra confinia supra dicta et in Dioecesi Lucana, Pistoriensi et Lunensi — usque ad nostrum vel successoris nostri — — beneplacitam, — tibi committedus.*

(d) Sunt fere eadem vtriusque diplomatis verba: *Concedentes tibi plenariam iurisdictionem in omnibus praeditis — — ut possis inquirere et punire et iurisdictionem sanguinis, cum mero et mixto Imperio exercere, in genere et in specie, per te vel alium aucto, cui vel quibus ipsam iurisdictionem commiseris exercendam; recepro a te primitus iuramento, quod ipsam iurisdictionem fideler exercetas, nulli parceret vel contra Iustitiam offendendo sed ius suum cuique tribuendo. — Quod ad reliqua attinet Vicariorum Imperii in Italia generalium iura, addisci ea optime possunt ex diplomate, quo Carolus IV. Imp. Iohannem de Auesnis Comitem Haynoniae, Vicarium Imperatoris et Imperii generalem in partibus Tusciae constituit, apud MARTENIUM Tom. I. pag. 1193. De discrime vero inter Vicarium generalem et speciale legi meretur GERL. ADOLPH DE MVENCHHAVSEN in diff. de Vicariatu Italiae Cap. II. §. 3. (quo loco diploma Henrici VII. Imp. in medium producitur, quod hanc rem egregie illustrat) et Cap. III. §. 2. Lucem quoque accipit ergo Vicariorum Italiae ex iis, quae leguntur apud IO. PETR. DE LVDEWIG in Singular. Iur. Publ. Cap. IV. pag. 322. not. 240. ubi omnes eos dictos olim fuisse Caesaris in Italia Vicarios docetur, quibus iuris cuiusdam ex iis, quae secundum LL. Romanas inter Imperatoris fiscalina, et Iure Feudali Longobardico per II. F. 56. inter Regalia referantur, commissum fuerit exercitum.*

(e) Conferenda sunt verba diplomatum in nos. b. et c. recitata.

(f) Quae conditio patet ex verbis augustalium codicillorum in nos. d.

(g) Quem

(g) Quem errorem, breuib[us] quidem verbis sed eleganter, ex ipsa Imperii Romano-Germanici formula refutavit IO. PETR. DE LUDEWIC in Sing. Iur. Publ. Cap. IV. pag. 498. vor. 569.

(h) Exhibit hoc diploma LEIBNITIUS l. c. P. I. n. 62. pag. 127.

(i) PTOLEMAEVS LVCENSIS in Vita Clementis V. pag. 40.

(k) IDEM l. c. pag. 42. 43. ALBERTIN. MVSSATVS in Vita Henrici VII. Lib. XIII. incunab.

(l) Audiamus ipsum Ludouicum, qui in laudato diplomate ita pergit: *Nunc vero quia ciuitas — et ciues praefati ad fidelitatem et devotionem reuersi, sacro se Imperio in puritate et in regnitore fidei rediderunt — nos — culpam praeceptoram — remittentes iisdem de gratia speciali omnes sententias per dictum D. Henricum contra ipsos prolatas de plenitudine potestatis regiae relaxamus et reuocamus — Et missis inter eius: Ad quod specialiter nos induxit — — fideliissima strenui viri Cistrucii de Antelminellis pro ipsis interpellantis supplices petitio, et fauor multis, quem ipsis gerimus ex affectu.*

§. 6.

Sed, age, e diuerticulo in viam redeamus, et collatoram Duci Lucensis et Vexilliferi S. R. L in Castricum nostrum honorum historiam persequamur. Consortio Imperii inter Ludouicium Bauarum et Fridericum Austriacum Monachii a. 1325. inito (a), id vnicce egit Ludouicus, vt pacata Germania, gliscentes etiam apud Italos discordias tandem componeret. Intuitus itaque a Gibellinis, quibus exosa erat Iohannis XXII. P. M. tyrannis (b), ad liberandam a Guelforum obtreceptionibus Italiam, Ludovicus a. 1326. Spiram Imperii proceres conuocat, qui etiam Regis consiliis applaudentes; se cum lati magna militum manu eidem in expeditione Romana adfuturos promittunt (c). Anno denique 1327. mense Martio, communicatis prius cum Friderico Austriaco consiliis (d), Ludovicus Italianum versus iter ingressus, feliciter superatis Alpibus Mediolanum peruenit, ibique cum coniuge Margaretha in ipso festo Pentecostes regni Longobardici corona redimitus est (e). Exeunte anno 1327. votis Romanorum morem gerens Ludovicus Ro-



miam accessit, ibique applaudente populo exceptus d. 17 Ianuar. 1328. Imperiali diadematate cum coniuge Augusta coronatus est (f). Rebus ita dispositis, Castrucius quatuor equitum millibus stipatus (g) Romam ad Caesarem se contulit, ibique urbis Romae senator creatus est (h). Maioribus autem praemii egregii viri virtutem dignam esse iudicans Imperator, augustalibus codicillis d. 15 Febr. a. 1328. Romae datis (i) non solum ex Luca eum vicino territorio (k) Ducatum et ex ipso Castrucio Ducem fecit, sed nouum quoque Ducem, cuius fortitudini hoc munus optime respondere videbatur, Vexilliferi S. R. I. officio ornauit. Varia sunt, quae ex hoc diplomatice notari merentur; in quibus recensendis hunc ordinem obseruabo, ut primo loco ipsius concessionis tenorem, deinde iurium ducalium Castrucio concessorum ambitum, denique vero ea, quae ad asserendum Castrucio nostro Vexilliferi S. R. I. officium faciunt, exponam. Quod igitur ad *primum* attinet, ex ipsa diplomatica formula colligitur: 1) Ludouicum Aug. praescitu et consilio procerum Imperii laudatos Castrucio contulisse honores. 2) Tam Ducatum Lucensem quam Vexilliferatum S. R. I. Castrucio concessum esse iure feudi masculini, addita lege, ut semper maior natu feu primogenitus ex descendentibus primi Ducis masculis et legitimis succederet (l). Ut vero *alterius* quoque, cuius mentionem fecimus, rationem habeamus, ex ipsis iterum augustalium codicillorum verbis eluet, Castrucio illiusque successoribus modo memoratis concessa esse iura quae sequuntur: 1) Jurisdictionem plenissimam, cum mero et mixto Imperio. 2) Ius in ciuitatibus, oppidis castris et terris noui Ducatus constituendi Vicarios, Capitanos, Iudices et Magistratus quoscumque. 3) Ius statuta municipalia condendi. 4) Quaecumque iura, quae sub Regalium nomine veniunt; quo loco secundum consuetudines feudales Longobardicas ea sine dubio iura intelligenda sunt, quae in II. F. 56. enumerantur. Potiora ex his iuribus, quorum specialis mentio in diplomatica nostro occurrit, sunt: Ius vecchialium et telomiorum; Ius metalli fodinarum; Ius eudendi monetam, aeream,

aerream, argenteam et auream; Ius denique feuda conferendi et Vasallos Imperii de feudis suis in ipso Ducatus districtu sitis inuestiendi (n). Ad quae iura accedunt: Ius milites tam intra quam extra Ducatus limites constitundi et militari cingulo decorandi; Ius creandi Notarios publicos, et Ius restituendi natales (n).

(a) Ipsas huius transactionis tabulas exhibet IO. DAV. KOEHLER in *Volutar. Imp. Consorrio inter Fridericum Austriae et Ludouicum Bau. Augg.* pag. 19—33.

(b) ALBERTIN. MUSSATVS in *Ludouico Bau.* pag. 2.

(c) CHRISTOPH. LEHMANN in *Chron. Spir.* pag. 653.

(d) IO. DAV. KOEHLER l. c. §. 20. pag. 87.

(e) CORTVS. in *Nouit. Paduae Lib. III. cap. 10.*

(f) TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* ad a. 1328.

(g) MACHIAVELL. l. c. pag. 76.

(h) ALBERTIN. MUSSATVS in *Ludouico Bau.* pag. 6.

(i) Qui leguntur apud LEIBNITIVM l. c. P. I. pag. 130. num. 65.

(k) Huc transcribi merentur ipsa diplomatis verba, vbi Imperator §. 2. ita pergit: *Volentes praemissorum obtenui excolle nomen suum et te praeagogaria speciali magnifice honorare, de plenitudine potestatis, et de certa scientia et de consilio Principium et Baronum, Civitates Lucae, Pistorii, Volaterrarum et Lunae cum omnibus et singulis castris, villis et locis suis in dioecesibus ipsarum et cum omnibus earum et cuiuscumque earum pertinentiis, territoriis et iurisdictionibus quibuscumque, ad ius honorum et nomen Ducatus perimentibus, transferentes et volentes sub uno dignitaris vocabulo contineri Ducatus Lucani, te pro te et successoribus tuis ex te per lineam masculinam natis et nascituris in perpetuum ipsius Ducatus Ducem et VEXILLIFERVVM NOSTRVM ET SACRI ROMANI IMPERII VRIBILIBET, de praemissae nostrae potestatis plenitudine et principali manifestia promouemus — Quae verba luculenter ostendunt, longe archiores hodie territorii Lucensis esse fines, iis, quos Ducatus Lucensis habuit. Pistorii scilicet et Volaterrarum dominia hodie ad Magnum Ducem Hetruriae, Lunam vero ad Genuensem re npublicam spectare, notum est, cf. S. R. Büsching in der neuen Erdbeschreibung Part. II. Tom. II. pag. 1171. 1208. 1218. (edit. 1778.)*



(l) Quod pārīm ex iis patet Codicillorūm Augustalium verbis, quae in nota p̄acc. recitauimus, pārīm vero cognoscitur ex iis, quae sequuntur in ipsius diplomatis §. 3. et 4. *Volumus insuper, quod in p̄acemissi Ducatu seu Vexilliferatu, semper maior naru seu senior ex generatione tua ex te et successoribus tuis legirine descendētib⁹ exclusi⁹ aliis filiis seu heredib⁹ solus et in totum succedat.* Et propter p̄acemissa omnia, te p̄o te ipso et p̄aceditis successoribus tuis, nobis pro nobis ipsis successoribus nostris, homagium et debitae fidelitatis turamentum praestantem, de p̄acemissa Ducatu et Vexilliferatu per sceptrum, quod in manu tenemus, p̄aſentialiter innestimus et infeudamus.

(m) Omnia haec iura nouo Duci concessa memorantur in ipsis diplomatis §. 2. et 3.

(n) Sunt haec, quod nemo non videt, iura Comitis Palatii Lateranensis. Iam vero ex alio diplomatico apud LEIBNITIVM L. c. P. I. n. 64 pag. 129. discimus, Comitium faci Palatii Lateranensis die demum 14 Mart. a. 1328. a Ludouico Bauaro Castrucio concessam esse; quam tamē in ipso concessae dignitatis ducalis diplomatico, non solum iuriū, quae diximus, ad Comitis Lateranensis Palatii officia referendorum, mentio fiat, sed etiam in ipso huius diplomaticis introita Castrucio titulus Comitis Sacri Palatii Lateranensis tributatur. Cuius rei hanc rationem reddit BVRCH. GOTTH. STRUVVS in Corp. Iur. Publ. Cap. XII. §. 15. not. 39. pag. 439. vt Comitium Palatii Lateranensis Castrucio primitus saltu temporario, in altero autem diplomatico d. 14 Mart. a. 1328. Romae dato, haeredario iure concessam esse dicat; quod vitium ex ipsis diplomaticis verbis colligitur: *tibi et successoribus tuis ex te naris et nascituris per lineam masculinam in perpetuum Comitatum Sacri Lateranensis Palatii — — — — — damus, concedimus et donamus.* Addere quoque possumus, officium Comitis Palatii Lateranensis d. 14 Mart. 1328. Castrucio collatum iura nonnulla continuisse, in ipsa Imperatoris inauguratione, quae Romae in templo S. Iohannis Lateranensi fieri solebat, exercenda, quae in laudati diplomaticis §. 3. plenius enumerauntur. Conferri caeteroquin merentur, quae de origine Comitum Sacri Palatii Lateranensis, deque hac dignitate Castrucio concessa exposuit IAC. CAROL. SPENER in diss. de vera origine Comit. Palatini. Caesareor. (in Eiusd. Iur. Publ. Part. VI. pag. 285—328.) ibique p̄aſertim §. 8. not. c. pag. 317—319.

### §. 7.

Ad tertium me conierto, cuius in saepe laudati diplomaticis explicatione rationem habendam esse dixi (§. 6). Afferenda scili-

scilicet est Castrucio nostro Vexilliferi S. R. I. dignitas, cui vir,  
 dum viueret, doctissimus, VLRICVS OBRECHTVS (a) fatis spe-  
 ciosum argumentum opposuit. Persuadere enim sibi aliquis  
 conatur *Obrechtus*, eos, qui solemni ritu per Imperiale Vexil-  
 lum de Ducatu fuerint investiti, dictos nonnunquam fuisse Ve-  
 xilliferos Imperii, ipsosque eorum Ducatus, Imperii Vexillife-  
 ratus. Quam sententiam, vt argumento aliquo suffulcire vi-  
 deatur, exemplo vtrum diplomatis Ludouici Bauari, quo Ca-  
 strucium in Lucae Ducem euexit, vtpote in quo promiscue ali-  
 quoies legantur tituli: *Dux et Imperatoris Sacrique Romani*  
*Imperii Vexillifer; Ducatus et Vexilliferetus.* Ut igitur ad  
 haec *Obrechti* argumenta respondeamus, primo statim loco  
 notandum est, nullum, quod fatis probari possit, exemplum  
 in promptu esse, ex quo constet, Vexilliferi Imperii titulum  
 eodem sensu vel unquam acceptum esse, quo Ducis vocabulo  
 utinam (b). Deinde vero etiam summi Viri sententia ex eo  
 quodammodo refutari potest, quod certum sit, non ad solos  
 Ducatus in Imperio Romano-Germanico restricta fuisse Inve-  
 stiturae per Vexillum solemnia; atque ita, si cum *Obrechto*  
 loqui velimus, Comites quoque imo etiam Dynastas nonnullos,  
 eodem iure dici potuisse Imperii Vexilliferos, quin scili-  
 cet et illi de terris suis frequentissime per Vexillum fuerint inue-  
 titi (c). Grauissima tamen, quibus *Obrechto* obviare ire pos-  
 sumus, argumenta tum in ipso latent diplomate, quo Castru-  
 cius in Ducem Lucensem euectus est, tum ex alio eiusdem Lu-  
 douici Imp. diplomate, quo Castrucio nostro Sacri Palati La-  
 teranensis Comitatuum contulit, repetenda sunt. In vtroque  
 scilicet diplomate accuratissime distinguntur Ducis et Vexilli-  
 feri, Ducatus et Vexilliferatus tituli. Sic, quod primum est  
 argumentum, in diplomate concessae dignitatis ducalis, ipse  
 Imperator Ducatum a munere Vexilliferi non obscurè distinguit  
 dum Castrucium §. 2. ita alloquitur: *Te prote et successoribus*  
*tuis — — in perpetuum ipsis Ducatus Ducem et VEXILLI-*  
*FERVM NOSTRVM ET SACRI ROMANI IMPERII VBLIBET,*  
*— — — promouemus.* Alterum nobis argumentum suppediat  
 alias

alius eiusdem diplomaticis locus, vbi ita pergit Imperator §. 3.  
*Volumus insuper, quod IN PRAEMISSIS DVCATV SEV VEXILLIFERATV semper maior natu — — succedat.* Et paucis interiectis §. 4.: *de praemissis Ducatu et Vexilliferatu — inuestimus.* Utitur hoc loco Caesar plurali numero in verbis: *praemissis Ducatu seu Vexilliferatu etc.*; ex quo luculenter patet, vere distinctas fuisse, quae Castrucio obuenierunt, Ducis et Vexilliferi dignitates. Tertium sequitur argumentum, quod nobis suggestum laudati diplomatici §. 5. quo loco Imperator poenam pecuniariam minitatur iis, qui contra honores Castrucio collatos quidquam in posterum admissuri sint; his verbis: *Si quis autem temerario ausu praeiumpserit contrauenire, mille marcharum auri poenam incurrat, pro dimidia Camerae nostrae persoluendam et pro alia dimidia Camerae dicti DVCATVS ET VEXILLIFERATVS, IN QVORVM PRAEVICIO aliquando extiterit attentatum.* Nemo sane est, qui non videat, verba: *in quorum praeiudicio*, non ad unam sed ad plures dignitates esse referenda, atque ita fieri non posse, quia Ducatum Castrucij & Vexilliferatu eidem concessio distinguamus. Quartum denique subiungamus argumentum, quod in ipso inest diplomaticis concessi Comitatus Lateranensis Palatii introitu: *Ludovicus Dei Graffia Romanorum Imperator Semper Augustus, illustris Castrucio, Duci Lucano, Savri Lateranensis Palatii Comiti, et ROMANI IMPERII VEXILLIFERO, suo et Imperii fideli dilecto, gratiam et omne bonum.* Quae verba rem omnem confidere nobis videntur, quum in iis expressa sit mentio trium distinctorum honorum, neque coniunctus cum Ducis vocabulo sed accurate potius ab eodem separatus Vexilliferi titulus legatur. Ex quibus omnibus colligimus, asserendum esse Castrucio Vexilliferi S. R. I. munus, a Ducatu eidem concessio distinctum, nisi forte vim facere claris diplomaticum verbis, et, quae in illis distinguuntur, inter se commiscere velimus.

(a) Qui in elegantissima caeteroquin dissertatione *de Vexillo Imperiali* Cap. IV. pag. 85. (in Etsiadem Academicis Argentorati 1704. 4<sup>o</sup> editio), ita pergit: *Nequis in solitum est, eos, qui solemnii ritu argueantur ad eos*

adeo per Imperiale Vexillum de Ducatu ad Marchionatum inuestiti sunt, Vexilliferos Imperii ipsosque etiam Ducatus exinde Vexilliferatus Imperii nominari. Sicut in diplomate Ludouici Bau, quo Castrucium in Lucae Dacem exierit, *Dux et Imperatoris Sacrique Romani Imperii Vexillifer*, *Ducatus et Vexilliferatus*, aliquoties coniuncta et prouisive posita leguntur; sed alio penitus sensu, quam quo Vexilliferi Imperii dicuntur, quibus Imperialis Vexilli in expeditionibus ac bellis Imperii gerendi munus commissum est.

(b) In quo mihi additipulatur LEIBNITIUS in der kurzen Deduction den Unterschied des Reichs-Haupt-Panniers und des Reichs-Sturm-Fahne berreffend §. 18. apud THYCEL. in. Elect. Iur. Publ. pag. 137.


(c) Demonstrari hoc potest argumento ex ipsius A. B. Tr. V. §. I. functione de promto; quo loco Vicaris Imperii Palatino et Saxonii ius de feudis Imperii inuestiendi tribuitur, addita restrictione: Feudis Principis dantazat exceptis, et illis, quae Vanilchen vulgariter appellantur, quorum inuestituram et collationem soli Imperatori vel Regi Romanorum specialiter reservamus. Quae verba fatis euincunt, feuda vexilli distinguenda esse a Ducum et Principum feudis, atque ita nullis rationibus nisi sententiam eorum, qui, quoties de feudis Vexilli sermo est, solos Ducatus vel Principatus intelligi volunt. Rem omnem egregie exposuit 10. PETR. DE LVDEWIG in der Erlaeuerung der guldnen Bulle Tom. I. pag. 559 sqq. not. n. et diversa quoque esse feuda quae Fuerstlicheben, ab iis, quae Fabrikaben dicuntur, statuit 10. SCHILTER in Annata. ad A. B. §. 29. (in Eiusd. Inst. Iur. Publ. Tom. II. pag. 291. sqq.) qui etiam dynastas olim per vexillum inuestitos esse, variis exemplis docuit l. c. §. 10. pag. 275.

### §. 8.

Restat, ut breuiter dispiciamus, quale Imperii Vexillum in Vexilliferatu Castrucio concessio intelligendum sit. Plura enim Imperii Vexilla fuisse, notum est (a). In ipso tamen diplomatis nostri formula, quum certi cuiusdam Vexilli nulla fiat mentione, ad coniecturas confugiendum est. Quibus coniecluris licet res omnis expidiri nequeat, vero tamen simile mihi videatur, Vexillum Imperii maius (des Heil. Roemischen Reichs

C

Haupt-



*Haupt-Panier)* atque adeo Vexilliferatum Imperii vniuersalem; qui non solum 1) Ius in expeditionibus bellicis praesente ipso Caesare maius illud Vexillum explicandi; sed quoque 2) Ius idem Vexillum preferendi Caefari, coronationis gratia urbem Romanam ingredienti, complectebatur, commissum esse. Primum pro corroboranda hac sententia argumentum ex ipsis repeto diplomatis saepe laudati verbis: *Tu pro te et successoribus tuis — Vexilliferum nostrum et S. R. I. VELIBET* etc. Quo loco adiecta particula *vilibet*, in Vexillum innuere mihi videatur, quod in quacumque occasione praesente Imperatore gestari possit. Tale vero solum fuisse Imperii Vexillum maius, vel ex ipsis Imperii Legibus (*b*) luculententer patet. Licet enim Vexillum Argentoratense secundum ea, quae OBRECHTVS et STRVVIVS docuerunt, in bellicis expeditionibus praesente Imperatore explicari potuerit (*c*), nullum tamen illius vsum fuisse in coronatione Romana, certum est (*d*). Alterum sequitur argumentum ex historia coronacionis Caesarum, quae Romae fieri solebat, depromptum. In huius enim inauguratione solemnibus Caerimoniale Romanum duo adhibita fuisse Vexilla docet, alterum, in quo Aquila conspiceretur, alterum S. Georgii (*e*). Quod posteriorius Vexillum, quum ab antiquissimis temporibus Suevis commissum fuerit (*f*), cura illius demandari ab Imperatore Castrucio non potuit; quamobrem affirmare possumus, in Vexilliferatu eidem concessio alterum Imperii Vexillum aquila insignitum, intelligendum esse, quod pro eodem cum maiori Imperii Vexillo habent laudatissimi Iuris Publici Doctores (*g*). Tertium accedat argumentum, ex quo certum fiat, Vexilliferatum Castrucii plane diuersum fuisse a Vexilliferatu Groeningensi seu Wurtenbergensi. Vexillum scilicet Groeningense vulgo *die Sturm-Fahne* dici solitum, quod etiam nonnunquam *des Reichs-Fahne* vocatum fuisse volunt (*h*), concedi Castrucio non potuisse, ipsa rerum gestarum monumenta docent. Ut enim taceamus, in hoc Vexillum non quadrate particularum: *vilibet*, concessae Castrucio dignitatis titulo expresso

preſſe adiectam, quum laudatum Vexillum ſemper fuerit parti-  
culare (*i*); ex iſa etiam Ludouici Bau. historia patet, hunc Cae-  
farem idem Vexillum ante expeditionem Romanam (a. 1322.)  
ſimul cum caſtro et ciuitate Groeningenſi, cui hic Vexilliferatus  
iam a Saec. XIII. innexus fuifſe videtur (*k*), conſeffiſe Conrado  
Comiti Schluſſelburgico (*l*). Qui Conrado ad annum uſque  
1336. hoc feudum Groeningenſe poſſedid, hoc ipſo autem an-  
no quicquid in eo iuris habuit, conſentiente Caefare, in Ulri-  
cum Comitem Wuirtenbergensem tranſtulit (*m*). Ex quibus  
omnibus facile intelligitur, Vexilliferatum a. 1328. Caſtrucio  
conceſſum (*§. 6.*) ita interpretandum eſſe, vt illum de maiori  
Imperi Vexillo, utpote cuius gerendi munus, faluo Con-  
radi Schluſſelburgici, qui eodem tempore Vexilli Groenin-  
geniſi curam habuit, iure, ab Imperatore Caſtrucio concedi  
potuit, intelligamus. Cui ſententiae hoc etiam uſfragari  
videtur, quod inter teſtes, quorum ſubſcriptione firmatum eſt  
diploma confeſſi Caſtrucio Comitus Palatii Lateranensis,  
nomen quoque legamus *Conradi de Zohlfilberg*, pro quo  
*LEIBNITIUS* (*n*) legendum eſſe putat: *Conr. de Schluſſel-  
berg*. Quam emendationem ſi admittamus, eſt autem ita  
comparata, ut admitti omnino poſſit, luculenter patet, Ve-  
xillum Caſtrucio commiſſum, utpote cuius Vexilliferatum  
ipſe uſcriptor Conrado Vexillifer Groeningenſis agnouit,  
ab hoc Groeningenſi Vexillo diuerſum fuifſe, atque ita non  
ſine aliqua ratione diſtingui inter Vexillum Imperii maius  
et Vexillum Wuirtenbergenſe.

(a) Inter Imperii Vexillum maius et minus, in quorum priori  
aquaſa biceps, in posteriori vero aquila vniueſps conſpiciatur, diſtin-  
guit *VLR. OBERECHT* *l. c. Cap. III.* pag. 76. Tria vero Imperii  
Vexilla, que in praecipuis occurrant expeditionibus bellicis, laudat  
*BVRCH. GOTTH. STRVVIVS* in *Corp. Iur. Publ. Cap. XXIV. §. 9.*  
*IO. II.* pag. 891—895. Vexillum ſelicet Imperii maius (*der Heil.  
Reemifchen Reichs Haupt-Fabne*), Vexillum S. Georgii, et Vexillum  
Argentoratense; quorum primum praecipuum totius Imperii, alte-  
rum



rum Ordinis Equestris, tertium Civitatum fuisse, ab his autem Vexillis distinguenda esse Vexilla, quae das Reichenbauer et die Schwarmabne dicē solent (*l. c. §. 12.*), satis idoneis ostendit argumentis.

(b) *R. I. Spir. 1542. §. 39. in fin. et §. 40.* Und ob dann gleichwohl sich zutrige, dass die Kayserl. Maj. oder wir (de Rege Romanorum Ferdinando sermo est) persönlich im Feld waeren und des Heil. Reichs Fahnen fliegen ließen, soll nicht destoweniger Sr. Georges Fahnen in diesem Zug aus bewegenden Ursachen angestellt und in Rübe bleiben, allerley Unordnung zu verbüren. Sonst aber in der Kayserl. Maj. und unsfern Abwesen, soll des Reichs Fahnen nicht fliegen, sondern an seine Statt eine andere Fahne durch den obersten Feldbauprman aufgerichtet und gebraucht werden.

(c) *VLR. OBRECHT l. c. pag. 91—92. STRVVIUS l. c. pag. 894 not. 44.*


(d) *Vnde etiam repulsa tulerunt Argentoratenses a. 1452. quam a Friderico III. Imp. peterent, vt in solemnī Caesaris in urbem Romanum introitu Vexillum civitatum explicari permetteret. OBRECHT l. c. pag. 92.*

(e) *Cacrimonial. Roman. Lib. I. Scđt. 5. cap. 3. Postea die Caesar per portam, quae est sub arce S. Angeli, hoc ordine quasi triumphans ingreditur: Primo die equites Vexilla duo Caesaris portant, alterum S. Georgii, quod ad Suerorum pertinet custodium, Aquilas alterum. Ab antiquo igitur more recepsit Fridericus III. Imp. qui Romanum ingressurus, aegre hoc ferente licet et contradicente Vexilli S. Georgii signero, praecipit, ne praeter Imperii Aquilam vllam aliud signum explicaretur. OBRECHT. l. c. pag. 92.*

(f) *STRVVIUS l. c. pag. 893 seq. not. 40.* Litem postea Suevis de iure hoc Vexillum geflanti mouit Franconica nobilitas; hanc vero controuersiam transactione amicabili, per quam in iuris consortium certis legibus Franci recepti sunt, facile componi potuisse, si Caesar huius transactionis capita, sibi in castris ad Nouesium haerentis a. 1474. oblata, confirmasset, memoriae prodidit *DATTIVS de Pace Imp. Publ. Lib. II. cap. 3. num. 93. pag. 251.*

(g) *OBRECHT. l. c. Cap. III. pag. 76. HENR. COCCEII in Iur. Publ. Prudent. Cap. XIII. §. 14. pag. 249. STRVVIUS l. c. pag. 892. not. 27.*

(h) Alle-



(b) Allegant in hanc rem diploma Caroli IV. Imp. quod apud OBRECHTVM l. c. pag. 83. legitur. Sed in hoc diplomate de Vexillo Wuirtenbergico fermone non esse, vel ex ipsis Caroli verbis pater, quibus cura Vexilli in diplomate memorati non soli Eberhardo Comiti Wuirtenbergico, sed cum eo simul Argentoratenibus committitur.

(j) In motibus enim subitaneis in Imperio subortis, vel si contralatores agendum esset, de turri suspensum fuille hoc Vexillum docent LEIBNT. in der kurzen Deduction. n. 31—38. (ap. THVCEL. l. c. pag. 142—144.) et STRUVIUS l. c. pag. 895. §. 12.

(k) Quod KVLPISIVS in der von dem Hause Würtenberg abgefallen Gegen-Deduction etc. §. 19. apud THVCEL. l. c. pag. 166. ex diplomate efficit, inter cuius subscriptores iam a. 1257. occurrit: Hartmannus Comes de Grieningen ex Sacri Imperii Signifer.

(l) Diploma Ludouici exhibet KVLPISIVS l. c. lit. D. et E. pag. 203—205. et ibidem lit. F. leguntur literae confensuales Balduini Archi-Episcopi Treurensis, quibus factam a Ludouico concessionem approbat, et quae eam ob caufam notari merentur, quia Balduinus expressam in his facit curae Vexilli der Sturmfabue Conrado demandatae mentionem.

(m) Plenius rem enarrat KVLPIS. l. c. §. 21—22. pag. 169—177. qui monumenta diplomatica hue facientia exhibet lit. K. L. M. N. et O. pag. 208—211.

(n) in Cod. Iur. Gent. Diplom. P. I. pag. 129.

His ita disputatis addi quidem nonnulla possent de morte Castrucii, qui eodem anno, quo tantis a Ludouico Bauaro Imp. ornatus est honoribus (1328.), diem supremum obiit. Sed quem huius rei enarratio (in qua prolixior est MACHIAVELLVS l. c. pag. 85—87.) ad scripti mei argumentum pertinere mihi non videatur; ad id potius me conuento, quod scribendi occasionem mihi suppeditauit. Summum scilicet, quod indulgentissime nuper in me contulit SERENISSIMVS ELECTOR FRIDERICVS AVGVSTVS, beneficium, publicam

blicam exposcit deuotissimi gratissimumque animi demonstratio-  
nem, publicamque ardenterum pro salute perpetua CLE-  
MENTISSIMI PATRIS PATRIAE TOTIVSQUE FAMI-  
LIAE AVGVSTAE votorum nuncupationem. Quo pietatis  
officio rite atque morum maiore defunctor, dum munus cle-  
mentissime mihi demandatum d. XXII. Decembr. hora IX.  
auspicabor oratione *de Ethica Ariostoëis optima virtutis po-*  
*liticæ magistra.* Ad quam benevolentissime audiendam RE-  
CTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS  
COMITES, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICÆ GRAVIS-  
SIMOS, COMMILITONES GENEROSISSIMOS ET NOBILISSI-  
MOS, obseruantissimis atque humanissimis precibus inuito.

P. P. Lipsiae Domin. IV. Audent.

ciclocccccix.

Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle  
005 433 703


3





B / G.

Farbkarte #13



DE

CASTRVCIO DVCE LVCensi  
S. R. I. VEXILLIFERO

PRAEFATVS

AD AVDIENDAM ORATIONEM

QVA

MVNVS PROFESSORIS PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARI<sup>I</sup>

IN ACADEMIA LIPSIENSI

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM

DIE XXII. DECEMBER. A. C. N. C<sup>18</sup>CCCLXXIX.

RITE AVSPICABITVR

HUMANISSIME INVITAT

M. ERNESTVS CAROLVS WIELAND

COLLEGII E. M. V. COLLEGA REGIAE BORVSSICAE

SOCIETATIS SCIENTIAR. ET ARTT. FRANCOFVRTENSIS

ASSESSOR.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

